Quelle: http://manuscripta.at/?ID=83
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



50

ex mala habitudine membrorum spiritualium quandoque ex vicio stomachi videlicet ex corruptis humoribus
in ipso existentibus. Fetor oris ex putredine gingivarum vel pustulis factus cognoscitur et
curatur ut dictum est supra. Fetor proveniens ex mala habitudine spiritualium continuus est
et ante cibum et post cibum idem et hic quidem palliari potest sed non curari. Vicio stomachi fetor
proveniens interpolatus est aliquando ante cibum quam post et post cibum parvus aut nullus
et hic bene curatur cum ex tergentibus et aromaticis et confortantibus. Primo detur oximel di-
visivum de mane ad vomitum provocetur post esum salsorum et acruminum et acetosorum
sicut frigus tactum et de curatione visus quod defectus habet ortum ex stomacho post purgationem detur
aurum vel apoxira vinum decoctionis optimi aloes vel mastic multum valet. Fiat pillule
ex pulvere ligni aloes mastic garyophilli nucis muscate rosarum et cardomomi et eadem confici-
antur cum aqua rosarum et vino odorifero infusionis dragaganti ut vis ipsius dragaganti melius
possit cohaerere pulveres et pillule in formandi huiusmodi pillule sub lingua retente
fetorem oris vicio spiritualium palliant. In stomacho vero recepte fetorem ex eius vicio proveni-
entem curant dyamargariton et cetera elia confortativa et aromatica multum conferunt. Nota
quod pulvis iusti ambre ligni aloes et ceterorum aromaticorum sub lingua retentus fe-
torem oris vicio spiritualium emendat. Dolor dentium quandoque fit ex vicio stomachi quandoque
vicio cerebri vicio cerebri ut ex calidis vel frigidis humoribus ab ipso reumatizantibus
vicio stomachi similiter aut ex frigidis aut ex calidis humoribus in eo existentibus a quibus fumositas
resolutiva frigoria petens nervos predictos mordicando vel aggravando dolorem inducat
quod quidem per signa cognoscitur. Si fit ex calidis humoribus a capite distillantibus dolor est
acutus et pungitivus cum rubore faciei. Si vero ex frigidis dolor est minor cum gravedine
capitis et pallore et tumiditate faciei. Si autem ex calidis humoribus in stomacho existentibus
dolor est acutus cum siccitate et asperitate gutturis siti et amaritudine oris. Si ex frigidis
per remotionem predictorum signorum cognoscitur et ex acetosa eructuatione vel oris insipiditate.
Et nota quod dolor dentium vicio cerebri proveniens quandoque x horis vel tribus per totum diem
sine interpolatione afflicit vicio stomachi factus una vel duabus horis affligit postea inter-
polat. Vermes in dentibus maxillarum ex humoribus in concavitate eorum factus procreantur
et cognoscuntur ex pruritu et titillatione et ex visu quia dentibus aqua tepida
lotis vermes in ipsa aqua in aliquo vase recepta quandoque vivunt natantes. Si fiat dolor
ex calidis humoribus a capite dentibus fiat minutio de vena cephalica viribus et etate
permittentibus vel ventosa cum scarificatione collo imponatur detur medicina sanguinis mundificativa
et colere purgativa ut decoctio violarum et prunorum et cassia fistula et rhamarindorum
mane addita et ita mirabiliter curatur. Si ex frigidis detur blanca vel aliqua laxativa mane
Et nota quod humores in ore stomachi sive sint frigidi sive calidi per vomitum educendi sunt
nisi aliud prohibuerit ut angustia arteriarum tussis et similia. In fundo vero stomachi ex-
istentibus sive calidi sive frigidi in fine sunt educendi. Si lavetur os semel in mense de vino de-
coctionis radicis cinnamomi os tuum sanum conservabis exterius et dyas. Sal cum pasta

De dolore dentium

De cura dentium